



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Qvæstio II. De prudentiæ Virtute.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

imperare possit quosvis earum actus, nullam, cui non opponantur plura vitia, esse autem illas etiam specificè inæquales inter se.

Vna virtus
imperat
alias virtu-
tes.

Prima pars, de imperio virtutis vnus per aliam virtutem etiam inferiorem, probata est alias contra Vasquem, *disp. 51. c. 1.* potest enim aliquis ieiunare vt possit feruentius orare, potest misereri pauperis, vt iustitiæ actus facilius exerceat. Tunc ieiunium elicitur à virtute temperantiæ, imperatum verò à religione habet intrinsecam bonitatem temperantiæ, bonitatem verò religionis denominatiuè solùm ac extrinsecè, elicitur enim propter honestatem virtutis vtriusque.

Opponitur
vitiis.

Secunda pars de oppositione virtutum & viti-
orum probatur à Philosopho *secundo Ethicorum c. 8.*
quia id, quod est æquale opponitur ei quod excedit,
& ei quod deficit, virtus est quid medium & æqua-
le, vitia verò sunt excessus & defectus, ergo virtu-
tes contrariè opponuntur vitiis. Vnde colligit Phi-
losophus quod extremorum vnum, compellit à se
medium ipsum ad aliud extremum: atque fortem,
audax quidem timidum, timidus audacem appellat,
& sic de cæteris. Deinde notat, quod vitia extrema
vnus virtutis physicè sumpta, magis inter se con-
traria sunt quàm cum virtute, quamuis minus op-
ponantur sumpta moraliter, probatque primum pro-
pter maiorem distantiam extremi vnus ab altero
extremo quàm à medio. Deinde probat ex maiori
dissimilitudine cum vitiis extremis, nam prodigus
similior est liberali, quàm auaro. Denique obseruat
quod virtus magis opponitur vni extremo quàm
alteri: liberalitas v. g. magis opponitur extremo quod
deficit id est auaritiæ, quàm extremo quod excedit,
id est prodigalitati & contra, temperantiæ magis op-
ponitur extremo quod excedit, quàm extremo quod
deficit. Docetque id euenire primum ex rei natura,
quia vnum extremum est semper dissimilius medio,
quàm alterum v. g. timiditas dissimilior est fortitu-
dini quàm audacia: deinde id euenire ex parte no-
stra, quia ex inclinatione appetitus semper maiorem
habemus propensionem ad vnum extremum viti-
osum quàm ad aliud: nam ad excessum voluptatum
magis propendimus, quàm ad defectum.

Virtutes
sunt inæqua-
les.

Tertia pars, de inæqualitate virtutum negabatur
à Stoicis qui volebant *omnes virtutes & omnia pecca-
ta esse vnus statum*, vt loquitur Seneca *Epistola 66.*
id est illas esse inæquales gradualiter, quod apertè
falsum est, quia actus virtutum aliquando sunt re-
missiores, alias autem intensiores, idèoque habitum
magis vel minus augent. Deinde inæqualitas spe-
cifica & essentialis probatur ex inæqualitate obie-
ctorum, vnde Prudentia cum sit in intellectu reli-
quas superat dignitate, inter purè morales eminet
Iustitia, hinc Fortitudo, postrema est Temperantia.

§. III.

Virtutum difficultas & excellentia.

Prima ratio
difficultatis
virtutum.

Dicendum tertio, difficultatem virtutis peti-
tum ex ipsius virtutis natura, tum etiam ex
parte nostra: eius autem præstantiam probari ex om-
nibus eius causis & effectibus.

Primam partem, de virtutis difficultate latè pro-
bat Philosophus *secundo Ethic. c. 9.* variâque ratio-
nes affert & remedia. Prima verò ratio est, quia vir-
tus haberi non potest nisi ab eo qui medium inuenit
in quo nec exceditur nec deficit. Sed difficillimum
est in vna quaque re medium capere, sicut circuli me-
dium inuenire non cuiuslibet, sed scientis est tantum.
Ergo virtutem habere difficile est. Accedit quod vir-

Tom. I.

tus ita media est inter excessum & defectum, vt si
desit minima circumstantia non sit virtus, quia bo-
num est ex integra causa, malum autem ex quolibet
defectu, est autem difficile omnes attendere huius-
modi circumstantias, ergo difficillimum est tenere
medium virtutis, quia est difficile determinare in sin-
gularibus quomodo, & quibus, & pro quibus &
quo tempore irascendum sit: ij enim interdum lau-
dantur, & mites dicuntur qui deficiunt, interdum ij
qui deficiunt dicuntur viriles, virtus autem est in
singularibus. Altera ratio petitur ex parte nostri om-
nia enim sunt quæ intra & extra non difficultatem
augent virtutis. In intellectu enim & phantasia in-
finiti errores, sunt, & exigua planè apprehensio
dignitatis necessitatis, & vtilitatis virtutum, vnde
obscuritas illa cognitionis hebetem reddit volunta-
tis vigorem ad auiorem virtutis, accedunt sensus qui
omnes asperitatem virtutis representant, est enim
illis contraria, præterea in appetitu passiones omnes
virtutem armatæ oppugnant, & contra illam toto
insurgunt furore, extra exempla, peccandi occasio-
nes, demones impellentes, difficultatem illam au-
gent incredibiliter proponentes præcipuè volupta-
tis lenocinia quæ hominem inebriant & virtutis
odium ingenerant. Suggestit deinde Philosophus
remedia saluberrima, quibus non obstante tali dif-
ficultate virtus tamen acquiritur, præcipuum est vt
semper caueamus à voluptate, quia nunquam incor-
rupti iudicamus de ipsa, illique dicere debemus vt
senes Troiani Helenæ, *quod quamuis pulchra sit re-
stituenda tamen est*, hoc enim pacto remouentes à
nobis ipsam minus peccabimus.

Alteratio.

Excellentia
virtutis.

Secundam partem de virtutis eximia præstantia
& dignitate, probant omnia principia moralis Phi-
losophiæ, omnia Scripturæ testimonia, omnia Scri-
pta Patrum, omnia dicta Sapientum. pulchrum om-
nino esset ire per omnes illius causas, & effectus eius
mirabilis recensere: primaria nobilitas eius, & præ-
stantia, est affinitas eius & similitudo cum Deo, facit
enim eum in quo est verè deiformem, deinde facit ha-
bentem verè bonum, & operationem eius bonam.
Nihili facit Deus æquissimus rerum æstimator alia
omnia præter virtutem, ad cuius regnum stabilien-
dum misit in terras Filium, auxilia gratiarum effun-
dit copiosissima, denique illi soli parauit regnum.

Q V Æ S T I O II.

De virtute Prudentiæ S. Thom. secunda secundæ à quæst. 47.

Sic explicatis breuiter generatim virtutibus, vt
veniam ad singulas in particulari, ordior à Pru-
dentia, quam *primum officij fontem* rectè vocat Am-
brosius *l. 1 de officiis c. 27.* De hac autem dicere tria
satis erit, primum quidditatem propriam, secundò va-
rietas eius partes, tertio vitia opposita.

SECTION I.

Quanam sit vera quidditas Prudentiæ.

TRIA complector hoc titulo definitionem pru-
dentiæ, proprium eius obiectum materiale &
formale, actus proprios prudentiæ.

Dico primò, prudentiam rectè definiri, est virtus
intellectus quæ in negotio quolibet occurrente co-
gnoscimus quid faciendum vel omittendum sit, tres
partes habet definitio ex quibus tota innotescet
quidditas prudentiæ.

Definitio
Prudentiæ.

PPpp 2

Dicitur

Tres particulae definitionis.

Dicitur primò, *virtus intellectus*, quia ita fertur in suum obiectum vt ex modo iudicandi falli non possit circa proprium obiectum, cognoscit enim euidenter vtram illud sit turpe an honestum, alioqui non est prudentia. Quamuis autem de singularibus esse non possit demonstratio aut scientia, potest tamen esse iudicium proprium prudentiæ. Dicitur secundò, *quæ nouimus in quolibet negotio occurrente*, quia prudentia versatur circa singulares actiones, non enim est prudens qui nouit in genere, quid agendum sit, & in singularibus actionibus non nouit determinare circumstantias necessarias ad operandum honestè v.g. locum, tempus, modum, prudentia enim singulas actiones liberas dirigit totius vitæ. Dicitur tertio, *quid agendum vel omittendum sit* nam agere honestè obiectum est Prudentiæ, vt dicitur statim, sicut ædificare domum est obiectum artis ædificatoriæ. Et hic est etiam totus finis & effectus prudentiæ, quæ nouit in particulari determinare quæ circumstantiæ sint necessariae, vt opus fiat honestè. Sic igitur explicata definitio prudentiæ declarat optimè totam eius essentiam, consistentem in eo quòd cognoscat in quolibet negotio virtutum, quid sit conueniens aut disconueniens, honestum aut turpe. Ad hanc enim reuocantur alia omnes definitiones vulgò afferri solitæ, vt cum Aristoteles 6. *Ethicorum* c. 5. Prudentiam definit *habitu cum recta ratione actiuum circa ea quæ sunt homini bona vel mala*, & *ibidem* prudentiam appellat *rationem agendorum* Augustinus quoque l. 1. de libero arbitrio c. 13. *Prudentia inquit est rerum appetendarum & fugiendarum scientia*. Quæ omnia conueniunt, cum definitione illa quam attuli. Denique per eam definitionem Prudentia differt à reliquis virtutibus, quæ sunt in voluntate, respiciuntque actiones honestas sub ratione boni, Prudentia verè respicit eas sub ratione veri, & bonum non respicit nisi materialiter.

Probaturs definitio.

Obiectum prudentiæ.

Dico secundò, proprium obiectum circa quod versatur prudentia, esse omnia media quibus virtus moralis finem suum, idest mediocritatem sibi propriam attingere potest: deinde circumstantias omnes ad finem consequendum necessariae: fines verò virtutum moralium Prudentia præscribit saltem in particulari.

Ratio est, quia Prudentia, vt dixi, est ratio agendorum ad finem, vel vt aiebat Augustinus scientia rerum appetendarum aut fugiendarum, sed non aliter potest prudentia esse ratio agendorum & dirigere actus virtutum, nisi cognoscendo media quæ conducunt ad finem virtutis, idest quid agendum sit, & circumstantias agendi, seu modum agendi. Finem autem virtutis vniuersalem, & quasi abstractum non præscribit prudentia, sed habitus Syntereoseos, quæ v.g. dicitur esse viuendum temperate, agendum fortiter &c. Finem verò particularem quem virtus moralis intendit in singulis actionibus per se ipsam prudentia præscribit, quia virtus moralis in singulis actionibus intendit honestè operari, idest attingere mediocritatem, sed prudentia præscribit, quid in singulis rebus sit medium proprium cuiusque virtutis, ergo prudentia præscribit fines particulares singularum virtutum. Deinde proprium est prudentiæ præscribere circumstantias in singulis virtutum actionibus seruandas quod fieri non potest, quin prudentia versetur circa finem particularem singularum virtutum.

Tres actus prudentiæ.

Dico tertio, actus prudentiæ proprios esse potissimum tres, consilium, iudicium, imperium.

Ratio est, quia tunc aliquis est perfectè prudens quando bene consultat, rectè iudicat, efficaciter præcipit executionem mediocritatis ad finem. Consilium

est actus, quo cognoscimus quanam sit mediocritas propria obiecti virtutum, & quanam media vel circumstantiæ possint hic & nunc conducere ad illum finem. Iudicium est actus, quo ex pluribus mediis quæ possunt conducere ad finem, concludimus quodnam ex illis hic & nunc sit conducibilis & quomodo in talibus circumstantiis illud usurpari debeat. Imperium est actus intellectus, quo electio voluntatis eligentis certum aliquod medium, & certas circumstantias promulgatur potentiis inferioribus. Itaque cum munit Prudentia proprium sit efficere vt aliquod opus honestè fiat & secundum virtutem, ad hoc autem necesse sit inuenire diuersa media & diuersas circumstantias, deinde vnum aliquod medium præscribere, ac demum exequi quod decretum est, primum illud efficitur per consilium, secundum iudicium, tertium imperio, ergo tres illi actus totam prudentiam complent.

Ex quibus omnibus facile colligitur quatuor potissimum esse adiumenta quibus acquiritur prudentia. Primum est experientia similium euentuum, nam ex illis facile conicitur quid in subiecta occasione probabiliter euenturum sit. Hinc senes prudentiores sunt iunioribus, secundum est, eruditio seniorum & sapientum: tertium lectio historia, quartum in rebus propriis sui abnegatio iudicij. Quia illa omnia suppleunt quod deest experientiæ. Addit autem debet omnium maximum prudentiæ præsidium consideratio & reflexio, nihil enim est quod magis iuuet, & promoveat prudentiam.

Quibus obtrineatur prudentia.

SECTIO II.

Quenam sint partes Prudentiæ, integrales subiectiuæ, potentiales. S. Thom. q. 48. & seq.

Dico primò, rectè à S. Thoma numerari octo partes integrales Prudentiæ, memoriæ, intelligentiam, docilitatem, solertiam, prouidentiam, rationem, circumspectionem, cautionem.

Octo partes integrales prudentiæ.

Ratio est, quia partes integrantes Prudentiæ sunt perfectiones quædam sine quibus perfectus haberi non potest vsus prudentiæ: huiusmodi autem sunt octo istæ dotes, nam ex illis tres iuuant ad acquirendam prudentiam, alia in actu prudentiæ interueniunt. Ad acquirendam prudentiam iuuant Memoria seu recordatio eorum quæ legimus, vidimus, audiimus experti sumus, deinde intelligentia presentium quæ videlicet præsens rerum status inspicitur, postea prouidentia, seu consideratio futurorum euentuum qui sequi possent ex opere in actu prudentiæ interueniunt docilitas seu promptitudo discendi quæ ab aliis dicuntur: solertia, promptitudo inueniendi medium ad finem tempore breuissimo: ratio seu promptitudo colligendi vnam ex alio: circumspectio consideratio circumstantiarum ne quæ desit in opere: cautio seu cura vt videntur incommoda. Est igitur perfectè prudens qui meminit præteritorum, presentium statum rectè inspicit, futuros euentus conicit, promptè discit quæ alij docent: promptè inuenit media, promptè colligit alia ex aliis: circumspectus est ne quæ circumstantia desit in opere, cautus vt præueniantur incommoda.

Dico secundò, partes subiectiuas Prudentiæ quinque posse numerari, Monasticam seu solitariam, quæ spectat honestatem operis eius in quo est, Oeconomicam quæ spectat bonum familiæ: Politicam quæ spectat bonum ciuitatis aut reipublicæ curando vt seruentur leges, Legislatricem quæ spectat bonum ciuitatis ferendo leges, Militarem quæ rectè militiam gubernat.

Quinque partes subiectiuæ.

Ratio

Ratio afferri solet, quia prudentiæ munus perfectum est dirigere operationem hominis ut sit honesta. Dirigit autem vel procurando bonum ipsius operantis, & est Solitaria, vel procurando bonum familiæ & est Oeconomica, vel procurando bonum reipublicæ quod fieri potest ferendo leges & est Legislatrix, vel procurando ut leges seruentur & est Politica, vel auer- tendo ab ea malum & est Militaris.

Tres partes
potentiales
prudentiæ.

Dico tertio, tres optimè posse numerari partes potentiales prudentiæ, prima est Eubulia quæ iuvat ad consultandum, seu ad media excogitanda, secunda est Sinesis quæ iuvat ad iudicandum secundum leges ordinarias, tertia est Gnome quæ iudicat supra rationes & leges ordinarias, sed secundum mentem tamen legislatoris.

Ratio est, quia partes potentiales hoc loco vocamus eas quæ habent aliquod proprium prudentiæ, sed non se tamen extendunt ad totam eius virtutem, sicut intellectus est potentia ipsius animæ, quia est aliquid proprium animæ, sed ad totam tamen eius virtutem non pertingit. Sed ius consultandi & vis iudicandi sunt huiusmodi, sunt enim aliquid prudentiæ, quia illa consultat, iudicat, exequitur: ergo tres sunt partes potentiales prudentiæ.

SECTIO III.

Quenam sint peccata Prudentiæ opposita
S. Thomas à quæst. 53.

Quædam vitia opponuntur Prudentiæ, quia sunt illi contraria, & sunt defectus quidam prudentiæ, quædam verò sunt opposita prudentiæ quod falsam quandam speciem eius gerant ut rectè notat S. Thomas quæst. 53. ex S. Augustino l. 4. contra Iulianum de utroque genere pauca tantum annoto.

Dico primo, imprudentiæ quæ peccatum est prudentiæ oppositum, quatuor sunt species, præcipitatio, inconsideratio, inconstantia, negligentia.

Ratio est, quia illa peccata directè opponuntur prudentiæ, quæ directè opponuntur tribus actibus propriis prudentiæ, consilio, iudicio, executioni. Huiusmodi sunt defectus quatuor quos enumerabam, peccat enim contra consultationem prudentiæ propriam qui aggreditur finem, aut iudicat de mediis sine Prævia deliberatione, hæc est quæ vocatur præcipitatio; quæ omittit deliberationem. Peccat contra iudicium prudentiæ qui rem de qua iudicat, & circumstantias eius non maturè inspicit, hæc vocatur inconsideratio, quæ nimirum temerè iudicat. Peccat contra imperium & executionem prudentiæ qui leues ob causas diuellit à rebus rectè deliberatis, & iudicatis, quæ vocatur inconstantia, vel etiam qui omittit actus intellectus necessarios ut res manderetur executioni, ergo quatuor modis per defectum prudentiæ peccatur sunt autem hæc peccata mortalia vel venialia tantum ratione periculi peccandi cui exponitur homo per præcipitationem, inconsiderationem, inconstantiam, & negligentiam. Denique notat rectè S. Thomas quæst. 53. art. 6. ex S. Gregorio l. 3. 1. moralium cap. 31. quod quatuor hæc vitia oriuntur potissimum ex luxuria cuius proprium est totaliter extinguere iudicium, rationis, vnde dicit Philosophus 7. Ethicorum c. 6. quod incotinus ira audit quidem rationem sed imperfectè, incontinens autem concupiscentiæ totaliter eam nõ audit, quia videlicet ex eodem Philosopho delectatio maximè corrumpit estimationem Prudentiæ, præcipuè venerea, quæ totam animam absorbens trahit illam ad sensibilia à quibus prudentia & quælibet virtus animus abstrahit.

Dico secundo, sex esse vitia quæ falsa quadam specie imitantur prudentiam, & illi opponuntur quasi per excessum: primum est prudentia carnis, deinde astutia, dolus, fraus, sollicitudo temporalium, sollicitudo futurorum ita S. Thomas quæst. 55.

Sex vitia
imitantia pruden-
tiam.

Ratio est, quia prudentia illa est, quæ idonea media excogitat & ordinat ad finem honestum, ergo illa vitia verè imitantur prudentiam, quæ media idonea excogitant, & ordinant ad finem prohibitum & turpem, deliberando, iudicando, exequendo. Sed vitia sex excogitant & ordinant huiusmodi media ad fines prohibitos, primò prudentia carnis, quæ idonea media excogitat & ordinat ad vitam secundum carnem, id est ad opera carnis quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia contentiones, æmulationes, iræ, rixæ &c. prudentia itaque illa carnis damnata toties ab Apostolo, proposito sine illorum operum inuenit media peridonea quibus illa exequatur, & delectationem ex illis hauriat; includit enim affectum ad illa opera quibus mouetur intellectus ad excogitationem mediorum, quibus illa obtineantur, & est propria excogitatio mediorum propterea causata per affectum à quo illa ordinatur ad talem finem delectationis ut videas quàm meritò Apostolus. Dicat prudentiam illam esse inimicam Deo, & oppositam prudentiæ spiritus, quæ scilicet homo rectè deherat, iudicat, & imperat media idonea ad opera spiritus opposita operibus carnis. Sapere secundum carnem mors est. Est enim propria sapientum,

Prudentia
carnis.

Astutia.

huius sæculi. Secundò astutia, imitatur prudentiam & reduci potest sicut alia sequentia, ad prudentiam carnis, cognitio prauorum mediorum occultorum, quæ idonea sunt ad alios fallendos, finis enim hominis astuti est obtinere temporalia, proprius est inuenire media occulta quibus alij fallantur, quod sine dubio pertinet ad prudentiam carnis, & constituit sapientiam huius sæculi. Tertio, dolus & fraus imitantur prudentiam & sunt executio quædam astutia, dolus enim est executio astutiæ, in verbis quibus fallitur proximus ad obtinendum temporale aliquod bonum. Fraus est executio astutiæ in factis ut cum proximo das monetam adulterinam, cum supponis personam pro persona, cum contractum facis contra mentem alterius. Quarto, prudentiæ opponuntur & sunt falsæ imitationes prudentiæ, sollicitudo temporalium, & sollicitudo futurorum. Prima est nimia mentis occupatio in conquirendis aut conseruandis bonis temporalibus orta ex nimio habendi amore, & timore amittendi ubi tria interueniunt amor habendi, timor amittendi, nimia occupatio mentis in illis animo voluendis. Secunda est, nimia mentis occupatio circa futura vitæ necessaria cum anxietate quadam animi, & parua fiducia in Deum. Vtramque sollicitudinem sæpius in Euangelio damnat & prohibet Christus, probatque quàm illa sit stulta sex rationibus Matthæi 6. respicite volatilia cali. alias comparat eam spinis bonum semen suffocantibus Matthæi 13. denique monet Lucæ 21. attendite ut non grauentur corda vestra crapula & ebrietate, & superueniat in vos repentina illa dies. Consistit autem earum pernicietas & malitia præsertim in eo quodd tempus præcipiant necessarium ad seriam cogitationem salutis, quo nullum in vna est malum perniciosius, imò fons est & origo malorum omnium, spiritualia enim quæ conducunt ad virtutem & salutem sensibus non percipiuntur, neque cognosci possunt nisi crebra & attentata consideratio circa illa versetur, si autem non cognoscantur nec estimari etiam possunt, nec amari, & hinc terræ totius sequitur desolatio, quia non est qui recogitee

Dolus &
fraus

Sollicitudo
temporalium.

corde. Deinde adiunctum habet illa sollicitudo affectum ad temporalia qui stare non potest cum amore supernaturalium, duo enim amores in vno se corde non capiunt. Contra hoc vitium plura dabant Chrysof. *Homilia 2.2. in Mattheum* Augustinus *l. 2. de serm. domini in monte*, & interpretes in citata loca Euangelij.

QVÆSTIO III.

De Virtute Iustitiæ.

DE hac virtute moralium omnium virtutum Principe, neque pauca dicere facile est propter copiam materiæ, neque dici multa debent propter præscriptos breuitatis limites, medium, quoddam erit si neque de singulis omnia dixerò neque tamen vllum è singulis vel hic vel in morali omiserò, quæ octo videntur esse. Primò quidditas iustitiæ ac iniustitiæ, secundò propriæ species & partes iustitiæ, tertio dominium provt est regula & obiectum iustitiæ commutatiuæ, quartò primus actus iustitiæ commutatiuæ qui est restitutio, quintò alter actus eiusdem iustitiæ qui est contractus, sextò tertius actus quæ sunt iudicia, septimò actus iustitiæ distributiue propriæ, octauò virtutes iustitiæ affines præsertim Religio.

SECTIO I.

Quæ sit propria quidditas Iustitiæ ac Iniustitiæ.

Triplex acceptio iustitiæ.

Certum est primò nomine (iustitiæ) significari solere primò id omne quod rectæ rationi commensuratum est, & sic quælibet virtus & collatio virtutum appellari solet iustitiæ, *beati qui esurium & siturum iustitiam*, idest virtutem, & rectitudinem. Secundò, id quod legibus consentaneum est propter publicam vtilitatem, quæ vocatur iustitiæ legalis. Tertio id quod ponit æqualitatem cum eo quod strictè alteri debetur, seu cum iure alterius. Hæc est propria iustitiæ de qua sola loquimur, sed difficile est dicere quid sit ius illud quod adæquat iustitiæ.

Triplex acceptio iuris.

Certum est secundò, nomine (iuris) significari primò, legem & dictamen rationis, iubemus reddi vnicuique quod est ei debitum, sic enim dicitur aliud esse ius naturale, quod natura ipsa immobiliter præscribit, aliud posituum quod aliqua præscribit autoritas increata vel creata, aliud ius gentium quod obseruatur apud omnes gentes, aliud civile quod autoritas Principis constituit, aliud Canonicum, quod instituit autoritas Ecclesiæ. Secundò significari opus alteri strictè debitum, v.g. restitutionem alteri debitam. Tertio, rationem & titulum ob quem strictè aliquid alteri debetur, & hæc est significatio iuris maximè propria, solèturque definiti, legitima potestas ad rem aliquam aut functionem cuius potestatis violatio facit iniuriam, diuiditurque in ius ad rem, quod ipsam rem non habet deinctam, sed personam, in quam etiam dat actionem, & ius in re quod rem ipsam habet obligatam, in quam etiam dat actionem. His præmissis sine quibus intelligi non potest quidditas Iustitiæ, vt illa innotescat plenissimè. Primò videndum est quale sit obiectum iustitiæ tum materiale tum formale: secundò quænam sit propria definitio iustitiæ, & quas condiciones illa exigat: tertio quid sit propriè iniustitiæ, & verum illa volenti & consentienti fieri possit: quartò corollaria duo de iustitiæ Dei ad homines, & hominis ad Deum.

S. I.

Proprium obiectum Iustitiæ tum materiale, tum formale.

Obiectum materiale circa quod versatur Iustitiæ potest esse vel res aliqua externa, alteri debita vt pecunia, vel actio aliqua iusta quæ nimirum alteri tribuitur quod suum est: obiectum autem formale, seu ratio illa secundum quam actio illa externa respicitur à iustitiæ dicitur ab aliquibus esse Ius, ab aliis æqualitas, ab aliis medium rei, ab aliis actionem iustam vt iustam, nominibus autem diuersis illi omnes rem eandem significant. Sed tota tamen difficultas est dicere quid sit illa actio iusta vt iusta, idest alteri strictè debita, est enim difficile dicere, quid sit aliquid esse strictè debitum alteri.

Ratio ergo dubitandi primò est, quia vitiosum est definire Iustitiæ per ipsum ius, & ius ipsum definire per iustitiæ, hic enim vitiosus est circulus, quando duo se inuicem probant, & definiunt, sed si actio iusta vt iusta, sit obiectum iustitiæ, sequitur quod ius includitur in definitione iustitiæ, & quod iustitiæ includitur in definitione iuris, iustitiæ enim definitur quæ reddit alteri suum ius, & ius erit illud quod est alteri debitum ex iustitiæ. Imò hinc sequetur quod iustitiæ includitur explicitè in sui definitione, quæ sic negatoria erit, & includet processum in infinitum; iustitiæ enim est illa quæ reddit ius, idest id quod strictè alteri debitum ex iustitiæ. Probatur quia, iustitiæ non potest explicari nisi per debitum strictum, quod est debitum iustitiæ, quomodo enim aliter illud distingues à debito gratitudinis, à debito charitatis, & ab aliis debitis, quæ non sunt stricta debita, nisi dicas debitum strictum illud appellari quod violari non potest sine iniuria, idest nisi fiat contra iustitiæ, ergo nõ poterit definiti iustitiæ sine circulo vitioso, & sine petione principij.

Secundò videtur elici posse actus iustitiæ sine actione vlla strictè debita, quia possum ex vera virtute iustitiæ velle sapius soluere idem debitum quod prius solui, sicut possum obedire sapius implendo id quod præceptum est, v.g. plures audiendo Missas in die festo, tunc enim sapius pono, quod præceptum est, possum etiam pro eodem peccato sapius satisfacere, tum quoad culpam, tum quoad poenam, quia nimirum vt aliquod medium eligatur ad finem, non exigitur vt illud sit necessarium ad talem finem.

Dicendum tamen primò, proximum obiectum materiale iustitiæ esse actionem iustam seu æqualem cum iure alterius, obiectum autè formale ipsam æqualitatem actionis cum iure alterius, siue actionem vt æqualem iuri.

Prima pars de obiecto materiali facilis est quia, illud est obiectum circa quod actus elicetus virtutis versatur, quod homo iustus eligit & expetit, & in quo iustitiæ ponit suam mediocritatem immediatè. Sed homo iustus non eligit & expetit res externas, sed actiones quibus illæ restituuntur aut distribuuntur; neque ponit mediocritatem in debito aut deposito, sed in actionibus illis quibus illa redduntur, ergo materia immediata iustitiæ sunt actiones quibus reddatur res aliqua debita, non autem res ipsæ debite.

Secunda pars de obiecto formali non est difficilior, quia iustum dicitur illud omne quod est æquale cum sua regula & mensura, sed ius quod quisque habet, seu titulus propter quem alteri debetur, est regula & mensura actionis iustæ, tunc enim quisque dicitur iuste agere, cum tantundem alteri tribuit quantum ei iure debetur, ergo iustum est illud quod est æquale cum iure alterius, hoc est obiectum formale iustitiæ, ergo illud obiectum est æqualitas seu adequatio

Prima dubitatio.

Secunda dubitatio.

Affertio.

Obiectum materiale.

Obiectum formale.